REGINA
REGNI POLONIÆ
BEATISSIMA
MARIA
VIRGO,
Suo Patrocinio omnes Status, & Conditiones Hominum.

CONSERVANS.

Singulari Devotione
Novæ Confraternitatis in Ecclesia Cracoviensi Reverendorum Patrum Scholarum Piarum,
Causâ Adorationis & Recognitionis

ERECTÆ,
PROCLAMATA.

Anno Domini 1731.

CRACOVIÆ Typis UNIVERSITATIS.

in Festo Patrocinij
Hora ab 8va ad 9nam mane

In Patritia Arma
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
TARŁOVIANÆ.



QVæ Lechiæ gaudet Virgo Regina Vocari,
Hæc eadem dici cælica Luna cupit.
Hinc in TARŁOVIA dum fulget Luna Bipenni,
Quis neget hanc Divæ Virginis eſſe Domum.

AD ILLUSTRISSIMUM & EXCELLENTISSIMUM DOMINUM,

D. FRANCISCUM

Comitē à Tęczyn & Czekarzewice

TARŁO,

CASTELLANUM LUBLINENSEM,

Protectorē Confraternitatis PATROCINIJ B. MARIÆ V. Reginæ Poloniæ.

R*Eginam Poloniæ Tuum deducimus in conspectum, ut Sceptra & coronas Tibi deberi fateamur,*

ILLUSTRISSIME DOMINE. *Quid enim humile, quid non augustum in Te videmus? si natales Cunas, id est magnæ Domus, ex qua prodijsti amplitudinem inspicimus? dabilis sub Sole magnitudinis capaces sunt. Possent Filijs Iovis in Alexandro, Delicijs generis humani in Tito, Amori gentium in Trajano, à Lucina sterni, si iterum nascerentur. Possent Thronos Regibus, Curules Patritijs, Zodiacum Sideribus, imò Numinibus etiam Cælum sufficere, si suo omnes non caperentur Empireo. Ex illo nimirum sangvine Heroum concrevisti Gemma, qui Regum, Principum, Optimatum cordibus expressus est, etsi guttatim flueret, ex guttis singulis singuli Reges*

nasci

nasci possent. Non vilis arundo, sed fasces Consulum, Ducum Clavæ, Mareschalcorum baculi, Virgæ Dominantium, mensura forent, si quantus es, Te metiri velles. Solia in rostra, in folium purpuræ, Sceptra in pennas, murices in sepiam, in periodos poma aurea, in Tullium, Demosthenem, Plinium, Duces & Imperatores ire cogerentur, si pro generis claritudine dici scribiq́; deberes. Tam altè Tua nascendi excrevit felicitas, sed altius celsa surrexit virtus, qua in Castris & Tribunalibus, in Curia & confertissimis Provinciarum Comitijs publicam tranquillitatem provehis feliciter, sanctionum placita moderaris sanctissime, Religionis Maiesta-

tem aſſeris heroicè, integritatem Patriæ, vindicas zeloſiſſimè. In purpureo Patrum conſeſſu illo verborum peroras torrente, ut flumen Demoſthenis ex ore Tuo manare videatur; illa ſenſuum maturitate, ut exciſa è Iovis cerebro Pallas, in Tuo capite ſedem fixiſſe affirmetur. Novum Te hoc ævo Tullium publica loqueretur fama, niſi penes Gentilitiam Securim plusquàm Romani Conſul Imperij eſſes, quia Senator Poloniæ abſolutiſſimus, ſententijs ponderoſus, experientiâ ſtatûs publici præmaturus, conſilio gravis; atq; ſi pro roſtris diceres, non pro curulibus. Equidem ſic pro libertate loqueris, ut non ferventiùs ille pro domo ſua; ſic diſſeris pro

legibus

legibus Patriæ & justitia, ut non ille disertiùs pro Lege Manilia; Cum tamen communi omnium bono adeo sis eloquens, soli dignitati Tuæ plusquam Tacitus. Sed sileas quantumvis, Tua Te loquentur merita, orbisq; colliget Te totum aureum ex ore aureo, Florem Poloniæ ex verborum rosis, ex animorum dominio, Coronam eloquentiæ. Loquentur fasti gravitatem Tuam more suo ad inferiora propensam, licèt enim & generis excellentia, & senatoriæ curulis purpura evehit Te Cælo vicinius, non tamen tot fortunæ gratijs, tot honorum titulis, hominem cum Macedone exuis, sed quò altiùs ad immortales ascendis Deos, eo profundiùs ad minimos

quoq;

quoq; descendere non recusas. Dicent Annales illã sinceritatem animi, qua totam effundis in verbo mentem, floridum illud animæ candidissimæ Symbolum lilia imitatus, quæ dum labra aperiunt, cor simul extra involucrum proponunt. Narrabunt, sæcula qualiter divitias in Divos splendide, nummos in Numen profusè, gratias in miseros copiosè, erogas & distribuis, pupillis plusquam Pater, egenis plusquam ærarium, injuriatis plusquam satisfactio, nihil habentibus plusquam omnia. Tantæ virtutes merentur coronari, aliæ verò cùm nobis desint adoreæ, Coronam Lechiæ in Augustissima Poloniæ REGINA Tibi offerimus,

mus, non sine omine, quod Divinissima Augusta hæc per quam Reges regnant, Principes imperant, etiam TARŁONIAM *Domum faciet Coronatam.*

Ita vovet

Illustrissimo & Vnico Benefactori suo

æternè obligatum

Collegium Cracoviense Scholarum Piarum.

OFFICIUM
De Patrocinio
B. V. MARIÆ,
Regni Poloniæ
REGINÆ.

Ad MATUTINUM.

Quævis lingva ſonet per ſæcula cuncta MARIAM.
Ut Patrocinio nos tegat ipſa ſuo.

Ave Maria gratia plena, &c.

℣. Domine labia mea aperies,
℟. Et os meum annuntiabit laudem Tuam.
℣. DEUS in adjutorium meum intende;
℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

HYMNUS

HYMNUS.

AUgusta terræ Domina;
Et cælestis Curiæ,
Quæ ultrò quæris REGINA
Nuncupari Lechiæ,
Me Tuorum catalogo
Subditorum assere,
Servus Tuus fiam rogo,
Tu mea Princeps verè.
Equidem Tui subditi,
Sunt cætus Angelorum;
Et qui Te colunt, Inclyti
Sunt Principes Cælorum,
Video tamen sub plantis
Tuis, quoq; dracones;
Me similem feris tantis,
Pariter non sepones.
O Virgo & Mater DEI!
Regina clementiæ!
Memento obsecro mei,
Sim in statu Gratiæ!

ANTIPHONA.

NUllus est, qui salvus fiat, nisi per Te, ô Virgo Sanctissima! nemo est, cui donum concedatur aliquod, nisi per Te, ô Ca-

ô Castissima! nemo, cujus misereatur Gratia, nisi per Te, ô Honestissima! *S. Germanus.*

℣. Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ,

℟. Ita oculi nostri ad Te ô MARIA.

℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMnipotens Æterne DEUS, qui Beatissimam Virginem MARIAM, innumeris donis & gratijs exornatam, in Matrem Unigeniti Filij Tui elegisti, & super omnes Angelos & electos in Regno Tuo exaltasti; concede propitius; ut qui eam in terris colimus, ejusdem Patrocinio in cunctis necessitatibus adjuvemur, & ad gloriam perveniamus æternam. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

Bene-

℣. Benedicamus Domino,
℟. DEO gratias.
℣. Et fidelium animæ per misericordiam DEI, requiescant in páce, ℟. Amen.

Ad LAUDES.

Sit benedicta Pia, per sæcula cuncta MARIA.

Ave Maria gratia plena, &c.

℣. DEUS in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina,
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

O Imperatrix maxima
In DEI Dominio!
Es Omnipotentissima
Tuo Patrocinio,
Quod impetras, ut imperas,
DEUS facit illicò,
Annuit, quem genueras,
Verbulo vel unico.
Dixisti: *Fiat*; subitò
DEUS Cælo descendit;

Di-

Dicis pro quovis perdito?
Cælum ille conscendit.
Dic & pro me, ò Domina!
Tuo verbum famulo;
Ab æterna sim ruina
Liber, summè postulo.
O Virgo & Mater DEI!
Me in hoc exilio
Serva, memor esto mei
Ultimó in bivio.

ANTIPHONA.

Potens est Tuum Subsidium, ô Máter DEI! ad salvandum; & non eget alio apud DEUM Intercessore, qui Te habere meretur Advocatam. *S. Germanus.*

℣. Per Te speramus veniam delictorum.
℟. Et in Te est beatissima nostrorum expectatio præmiorum. *S. August.*
℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMnipotens Æterne DEUS, qui Beatissimam Virginem MARIAM, innumeris donis & gratijs exornatam, in Matrem Unigeniti Filij Tui elegisti, &

super

ſuper omnes Angelos & electos in Regno Tuo exaltaſti; concede propitius, ut qui eam in terris colimus, ejusdem Patrocinio in cunctis neceſſitatibus adjuvemur, & ad gloriam perveniamus Æternam. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium Tuum, qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, A.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad Te veniat,

℣. Benedicamus Domino,

℟. DEO gratias.

℣. Et fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace, ℟. Amen.

Ad PRIMAM.

Sit benedicta Pia, per ſæcula cuncta MARIA.

Ave Maria gratia plena, &c.

℣. DEUS in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me feſtina.

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,

℟. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

HYMNUS.

Quando

QUomodo Te ô MARIA
Non invocem fidenter?
Invocanti ſubſidia
Mox offers, & potenter.
Succurris periclitanti,
Deſperantem erigis,
Ades in bello pugnanti,
Navigantem dirigis.
Ignoranti ſcientiam,
Cœco miniſtras lucem,
Peccatoriq; gratiam,
Erranti das Te Ducem.
In omnibus me tuere,
Subveni in arduis;
Ut poſſim DEO placere,
Orna gratijs Tuis.
O Virgo & Mater DEI!
Me in hoc exilio
Protege, memento mei
In omni negotio.

ANTIPHONA.

Sileat laudes Tuas, ô Virgo Beata! qui Te ſuis in neceſſitatibus invocatam, ſibi unquam meminerit defuiſſe. *S. Bernardus.*

℣. Expandiſti nubem in Protectionem noſtram,

Et ignem

℟. Et ignem, ut luceat nobis in nocte.
℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMnipotens Æternæ DEUS, qui Beatissimam Virginem MARIAM, innumeris donis & gratijs exornatam, in Mattrem Unigeniti Filij Tui elegisti, & super omnes Angelos & electos in Regno Tuo exaltasti; concede propitius, ut qui eam in terris colimus, ejusdem Patrocinio in cunctis necessitatibus adjuvemur, & ad gloriam perveniamus Æternam. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Benedicamus Domino,
℟. DEO gratias.
℣. Et fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace, ℟. Amen.

Sit benedicta Pia, per sæcula cuncta MARIA.

Ave Maria gratia plena, &c.

℣. DEUS in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,

℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

IMmensum Gratiæ Mare,
MARIA Sanctissima!
Guttâ me saltem dignare
Ne arescat anima.
Tota Sancta, tota DEO,
Plena es ex utero;
Portionem hujus reo
Impertire misero.
Pura & Immaculata;
Diceris à singulis,
Me fædatum Advocata,
Mundum fac à maculis:
Fac me mitem, semper purum,
Humilem, & devotum,
Salutis esse securum,

DEO immersum totum.
O Virgo & Mater DEI!
In isto exilio
Semper habe curam mei,
Donec reddas Filio.

ANTIPHONA.

Nunquam malè peribit, qui Tibi DEI Genitrici devotus sedulusq; extiterit. Et impossibile est aliquem posse salvari peccatorem, nisi per Tuum ô Virgo auxilium & favorem. *S. Ignat: Mart.*

℣. Admitte preces nostras intra Sacrarium exauditionis,

℟. Et reporta nobis antidotum reconciliationis. *S. August.*

℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix;

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMnipotens Æternæ DEUS, qui Beatissimam Virginem MARIAM, innumeris donis & gratijs exornatam in Matrem Unigeniti Fili Tui elegisti, & super omnes Angelos & Electos in Regno Tuo exaltasti, concede propitius; ut

qui eam, in terris colimus, ejusdem Patrocinio in cunctis necessitatibus adjuvemur, & ad gloriam perveniamus Æternam. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Benedicamus Domino,
℟. DEO gratias.
℣. Et fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace, ℟. Amen.

Ad SEXTAM.

Sit benedicta Pia, per sæcula cuncta MARIA.

Ave Maria gratia plena, &c.

℣. DEUS in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina,
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

Virgo dulcis & cunctarum
Laus ac Decus Virginum

Virgo Mater; quæ terrarum,
Peperisti Dominum.
Tu es meum solatium,
Tu Lux in tristitia,
Tu post DEUM Refugium,
Ad DEUM certa Viâ.
Agnum DEI genuisti;
Ah nè ego Leonem
Sentiam in die tristi,
Da felicem agonem.
Defende me in prælio,
Castrorum Ordinata
Acies, redde Filio
Triumphantem post fata.
O Virgo & Mater DEI!
Ut DEUM inveniam,
Memor sis exitûs mei,
Deduc me in Patriam.

ANTIPHONA.

Si in Te, Mater DEI, spem habeo; sum defensus! si Protectionem Tuam possideo, ô Virgo Purissima! nil metuo; sed hostes meos persequar, & dispergam.

S. Ioan: Damascen.

℣. Benedixit Te Dominus in virtute sua,

℟. Quia per Te ad nihilum redegit inimicos nostros. *Iudith:* 13.
℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMnipotens Æternæ DEUS, qui Beatissimam Virginem MARIAM, innumeris donis & gratijs exornatam, in Matrem Unigeniti Filij Tui elegisti, & super omnes Angelos & electos in Regno Tuo exaltasti; concede propitius, ut qui eam in terris colimus, ejusdem Patrocinio in cunctis necessitatibus adjuvemur, & ad gloriam perveniamus Æternam. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Benedicamus Domino,
℟. DEO gratias.
℣. Et fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace, ℟. Amen.

Ad

Ad NONAM.

Sit benedicta Pia, per sæcula cuncta MARIA.

Ave Maria gratia plena, &c.

℣. DEUS in adjutorium meum intende,

℟. Domine ad adjuvandum me festina,

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,

℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

TEmplum Sanctæ TRINITATIS,
O Mater Deifica!
Servum Tuum à peccatis
Me quæso sanctifica.
O quot fecisti beatos!
Tuis sanctis precibus,
Quot in ferni jam paratos
Subtraxisti ignibus.
Ara Summi S. cerdotis
Es, Aram refugij
Te præbe cunctis devotis
In die judicij.
Ad Te miser confugio,
Tua pulso ostia;
Reconcilia Filio
Tuo, me ô MARIA!

O Virgo

O Virgo & Mater DEI!
Mater plena Gratiæ!
Memor sis obsecro mei,
Donec sistas Patriæ.

ANTIPHONA.

Beati, qui vigilant ad fores Tuas, & observant ad postes ostij Tui: Qui Te invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino. *Prov.* 8.

℣. Recurrimus igitur ad Te, ô Virgo Sanctissima,

℟. Ut Tuo Patrocinio nostram assequamur felicitatem. *S. Chrysost.*

℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMnipotens Æterne DEUS, qui Beatissimam Virginem MARIAM, innumeris donis & gratijs exornatam, in Matrem Unigeniti Filij Tui elegisti, & super omnes Angelos & Electos in Regno Tuo exaltasti; concede propitius; ut qui eam in terris colimus, ejusdem Patrocinio in cunctis necessitatibus adjuvemur, & ad gloriam perveniamus æ-

ter-

ternam. Per Dominum nostrum JE-
SUM Christum Filium Tuum, qui Te-
cum vivit & regnat in unitate Spiritûs
Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculo-
rum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad Te veniat.
℣. Benedicamus Domino,
℟. DEO gratias.
℣. Et fidelium animæ per misericordi-
am DEI, requiescant in pace, ℟. Amen.

Ad VESPERAS.

Sit Benedicta Pia, per sæcula cuncta
MARIA.

Ave Maria gratia plena, &c.

℣. DEUS in adjutorium meum intende,
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui
Sancto.
℟. Sicut erat in principio, & nunc, &
semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

EJa Mater Sancta DEI!
Mater nostræ salutis!
Mater amoris, & spei!
Virgo omnis Virtutis.
Dulcissimus Tuus Natus,

De DEO verus DEUS,
Redemptor est mihi datus,
Estq; Salvator meus.
Fac, ut ipsum imitari
Valeam hic in via,
Tandem illi sociari
In Cælesti Patria.
A peccato me servare,
Tuâ Sanctâ gratiâ,
In omnibusq; juvare
Digneris Mater Pia!
O Regina Beatorum!
Tuæ Consors Gloriæ
Aliquando in Sanctorum
Constituar Requie.

ANTIPHONA.

O felix MARIA! Tu Mater DEI, Tu Mater rei! Tu Judicis, Tu Mater exulis; cùm sis Mater utriusq; filij nè sinas Filium reum, damnari per Filium DEUM!

S. Anselmus.

℣. Sicut à Te despectus, necesse est, ut intereat,
℟. Ita à Te respectus, impossibile est, ut pereat. *S. Bonavent.*
℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMnipotens Æterne DEUS, qui Beatissimam Virginem MARIAM, innumeris donis & gratijs exornatam, in Matrem Unigeniti Filij Tui elegisti, & super omnes Angelos & electos in Regno Tuo exaltasti; concede propitius, ut qui eam in terris colimus, ejusdem Patrocinio in cunctis necessitatibus adjuvemur, & ad gloriam perveniamus Æternam. Per Dominum nostrum JESUM Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum, A.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad Te veniat,

℣. Benedicamus Domino,

℟. DEO gratias.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam DEI requiescant in pace, ℟. Amen.

Ad COMPLETORIUM.

Sit benedicta Pia, per sæcula cuncta MARIA.

Ave Maria gratia plena, &c.

℣. Converte nos DEUS salutaris noster,

℟. Et averte iram Tuam à nobis.

℣. DEUS in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adiuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto
℟. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

Supplex, pensum hoc offero
Tibi, mea Domina,
Suscipe, atq; misero
In salutem ordina.
Me simul in servum dono,
Atq; in mancipium,
Totum quantum corde prono,
Dico in obsequium.
Eja ergo miserere
Pro Tua clementia
Servo deploranti verè,
Commissa flagitia.
Contra hostis infernalis
Fraudes, atq; jacula,
Me sub Tuis fove alis,
Nè damner in sæcula.
Commendatus, nil metuo
Per Te DEI FILIO
Vivam, moriar sub Tuo
Felix PATROCINIO.

AN-

ANTIPHONA.

SAncta MARIA succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fæmineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen, quicunq; celebrant Sancti tui magnitudinem PATROCINIJ.

℣. Tu es Mater Sanctæ Spei,

℟. In Te omnis gratia vitæ & virtutis.

℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

OMnipotens Æternæ DEUS, qui Beatissimam Virginem, &c. *ut supra.*

℣. Domine exaudi, &c. ℟. Et clamor, &c.

IN FINE.

SUb tuum Patrocinium confugimus Sancta DEI Genitrix! nostras deprecationes nè despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo Gloriosa & Benedicta. Tuo nos Filio reconcilia, Tuo nos Filio recommenda, Tuo nos Filio repræsenta. Domina, Domina, Domina nostra, Advocata nostra, Mediatrix nostra Consolatrix nostra.

LI-

LITANIÆ
De Patrocinio
Beatæ MARIÆ Virginis
Ex Sanctis Patribus.

KYrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Pater de Cælis DEVS, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi DEVS, Miserere nobis.
Spiritus Sancte DEVS, Miserere nobis.
Sancta TRINITAS Vnus DEVS, Miserere nobis.
Sancta MARIA, Tuere nos Patrocinio.
Sancta DEI Genitrix, Tuere nos Patrocinio.
Sancta Virgo Virginum, Tuere nos Patrocinio.

Tuere nos Patrocinio.

Ablutio Lachrymarum nostrarum, *S. Germ: Cost:*
Administra salutis universi, *S. Damasc:*
Adjutrix destitutorum, *S. Ephrem.*
Advocata unica peccatorum *Idem.*
Ægrotantium exultatio, *Idem.*
Causa salutis humani generis, *S. Ireneus*
Clausorum liberatrix saluberrima, *S. Ephrem.*
Consolatio infirmorum, *Idem.*
Dux errantium, *S. Bonaven.*
Fons gratiæ totius consolationis, *S. Ephrem.*
Lumen cæcorum, *S. Bernard.*
Mamilla parvulorum, *S. Bonav:*
Mater Orphanorum, *Idm.*
Medicamentum omnium cordis dolorum, *S. Dam.*
Opitulatrix periclitantium, *S. Ephrem.*

Pro

Propugnaculum munificentissium in bello versantibus, S. Igna: M.
Redemptrix captivorum, Epiphanius.
Restauratio calamitatum nostrarum, S. Germ:
Solamen dulce conversorum, S. Ephrem:
Thesaurus locupletans pauperes, S. Hesybius.
Vita omnium viventium, S. Andreas Cretens:
Virgo de cujus plenitudine omne PATROCINIVM accipimus, S. Bernard.
REGINA REGNI POLONIÆ,

Tuere nos Patrocinio.

Per Immaculatam Conceptionem Tuam,
Per Nativitatem Tuam.
Per Præsentationem Tuam in Templo Salomonis,
Per Sanctam Educationem Tuam in Templo DEI,
Per Desponsationem Tuam cum Sancto Joseph,
Per Annuntiationem Tuam,
Per susceptionem in casta Viscera Tua, Verbi æterni,
Per Gestationem DEI Nominis novem mensibus, in casto utero Tuo,
Per Visitationem ad S. Elisabeth,
Per expectationem Virginei partûs Tui,
Per Nativitatem Vnigeniti Filij Dei, & Tui,
Per Oblationem Filij Tui in Templo Salomonis

Tuere nos Patrocinio.

Per Fugam Tuam in Ægyptum,
Per Inventionẽ Tuam amissi Filij Tui annorũ 12.
Per Conversationem Tuam cum Sanctissimo Filio Tuo in Nazareth annis triginta,
Per dolores Tuos tempore Passionis & mortis Filij Tui, Tuere nos Patrocinio.

Per gaudia Tua in Resurrectione Illius, & Ascensione in Cælum, Tuere nos Pat.
Per Assumptionem Tuam. Tuere nos Patro.
Per Exaltationem Tuam super Choros Angelorum & Coronationem, Tuere nos Patrocinio.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.

ANTIPHONA.

Sancta MARIA succurre miseris juva pusillanimes refove flebiles, ora pro populo interveni pro Clero, intercede pro devoto fæmineo sexu, sentiant omnes Tuum juvamen, quicunq; invocant Tuum Sanctum Patrocinium.

℣. In omni tribulatione & angustia nostra,
℟. Succurre nobis Tuo Patrocinio gloriosissima Virgo MARIA.
℣. Ora pro nobis Sancta DEI Genitrix,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORA-

ORATIO.

O Præclarum Vas Spiritus Sancti, ô gloriosa Civitas DEI, ô Mulier virtutis, quæ contrivisti caput serpentis, ô Sole speciosior, pulchrior Lunâ, stellis præclarior Virgo MARIA: Te peccatores adimus, rea pectora tundimus, dicentes: Sancta, Sancta, & semper Immaculata MARIA, clemens, & pia, Domina nostra, nos à subitanea & mala morte, & ab omni tribulatione liberatos, fac consortes Cælestis gloriæ, Amen.

ORATIO II.

Commendatio sui sub Patrocinium & custodiam B. Virginis MARIÆ.

SPes animæ meæ post DEUM Virgo MARIA, illa commendatione & illa fide, quâ te dilectus Filius tuus Dominus noster JESUS Christus prælecto Discipulo suo JOANNI commendavit; commendo Tibi hodie, & quotidie, corpus meum, & horam exitûs animæ meæ à corpore, & omnes actus meos, ac precor te, ut serves me, à peccatis, à scandalis, ab omni confusione humana, ab ira judicij tremendi, ab immundis cogitationibus, ab omni

mortali peccato, à ſubitanea & improviſa morte, ab omnibus periculis animæ & corporis; honoris, & rerum mearum, nec unquam me tale permittas facere peccatū, quô gratiam tuam amittam. Impetra mihi de præteritis emendationem, de præſentibus cuſtodiam; & de futuris cautelam. Da mihi in hac vita promptum adjutoriū: Eſto mihi in tremendo Dei judicio prælocutrix apud Filium tuum Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, Amen.

ORATIO III,

O Domina gloriæ, ô Regina lætitiæ, ô fons pietatis, ô vena miſericordiæ, ô ſanctitatis libertas, ô jucūditatis amœnitas, ô ſplendor cæli, ô dulcedo paradiſi, ô Domina Angelorum, o Sanctorum lætitia, ô Virginum gemma, o felix & Beata: Tibi Domina mea Virgo MARIA, hodie commendo totum corpus, & animam meam, & totam vitam meam, quinque ſenſus corporis mei, omnia facta mea, mortem meam, cum ſis benedicta in æternum & ultra, cum Filio Tuo Domino noſtro JESU Chriſto. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorū Amen.

INFORMATIONES
D E
Obligationibus Confratrum & Consororum Confraternitatis *PATROCINII Beatissimæ MARIÆ Virginis* REGINÆ Poloniæ, propter lucrandas Indulgentias, inferiùs expressas.

I. INscribendum est Nomen proprium Libro Confratrum & Consorou PATROCINII B. M. Virginis, præmissa Confessione & Communione Sacra.

2 Die, quâ inscribit aliquis nomen in Album Confraternitatis, eligere debet unam horam in Anno, Mense, Die, sive diurnam sive nocturnam, per cujus spatium oraturus est, petendo singulare Patrocinium Beatissimæ MARIÆ Virginis. Horâ illâ, ex Libello in usum Confraternitatis præfatæ composito, recitabit Officium, Litanias, & alias preces de Patrocinio Beatissimæ MARIÆ Virginis: Unâ orando pro Exaltatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ,

Extirpatione Hæresum, Concordia Principum Christianorum, & Statibus Regni Poloniæ: adjungendo proprias etiam necessitates, non tantùm quò ad æterna, sed etiam quoad temporalia. Qui legere nesciunt, absolvant tres partes Rosarij, vel alias preces pro suo libitu. Simplicis conditionis homines, maximè ex Pagis, non sunt obligati ad horam absolvendam, propter onera conditionis suæ & horarum ignorantiam.

3. In quatuor Festivitatibus huic Confraternitati annexis, 1mo scilicet in Festo Immaculatæ CONCEPTIONIS *B. M. Virginis.*

2. In Festo Annuntiationis ejusdem

3. In Festo S. Annæ Matris Beatissimæ MARIÆ *Virginis.*

4. Die Sacra Sancto Cajetano Patrono Providentiæ Divinæ, incidente in diem septimam Augusti, Instituenda est Confessio & Communio, & assistendum devotioni solemniter celebrari solitæ, in Ecclesia Cracoviensi R R. Patrum Scholarum Piarum, cum expositione SSmi Sacramenti & Concione. Qui verò procul distarent ab hac Ecclesia, & sive ob impedimentum aliquod legale, sive ob ægritudinem adesse nequirent huic devotioni, absolvent illam in Ecclesia viciniore, sive in Domo privata.

4. Quo-

4. *Quotidie recitandæ sunt per Confratres & Consorores hujus Confraternitatis 12 salutationes Angelicæ, ad impetrandum PATROCINIUM Sanctissimæ MARIÆ Virginis, pro duodecim horis diurnis sive nocturnis.*

5. *Opera bona, tam Corporalia quàm spiritualia exercenda, ex amore Sanctissimæ Virginis MARIÆ, & ad impetrandum illius in omnibus PATROCINIUM.*

6. *Additur nullam harum Obligationum stringere Confratres & Consorores sub peccato, si non recitent preces vel horam in anno non absolvant; Sciant solùm se non lucrari Indulgentias huic Confraternitati concessas, inferiùs specificandas. Dignus est autem DEUS, ut incessabili Devotione quilibet placet illius Sanctam Majestatem; digna & anima hominis, ut ad liberationem illius de pœnis Purgatorij quilibet abundet thesauro Indulgentiarum promeritarum.*

INDULGENTIÆ.

Confratribus & Consororibus Confraternitatis PATROCINII Beatissimæ MARIÆ Virginis Reginæ Poloniæ, à Summo Pontifice BENEDICTO XIII. concessæ.

1. D*Ie quâ inscribitur aliquis in Confraternitatem hanc, præmissa Confessione & Communione Sacra consequitur* Indulgentiam Plenariam.

2. *In Solemnitate Patrocinij Sanctissimæ MARIÆ Virginis, prævia Confessione & Communione Sacramentali, orando pro Ecclesia Sancta Romana Catholica, Universa Christianitate, Hæreticorum, Schismaticorum, & Infidelium Conversione; concordia Principum Christianorum, & præcipuè pro Statibus Regni Poloniæ* Indulgentia Plenaria.

3. *In articulo mortis, si confiteri non possit aut ore exprimere Dulcissima Nomina: IESVS MARIA, corde illa invocans* Indulgentiam Plenariam *consequitur.*

4. *In*

4. *In diebus festis, huic Confraternitati annexis, specificatis superiùs Confitentes, & Sacram Synaxim sumentes, & Orantes ad intentiones superiùs intimatas,* Indulgentiam *septem annorum & totidem quadragenarum consequuntur.*

5. *Quolibet die Sabbati per annum, Sacrificia Missæ absoluta ad Altare Patrocinij Beatissimæ MARIÆ Virginis, pro Animabus Confratrum & Consororum hujus Confraternitatis, Plenariam Indulgentiam habent annexam à Sede Apostolica.*

6. *Per totam Hebdomadam, incipiendo à die Commemorationis Omnium fidelium Defunctorum,* Indulgētia Plenaria *Animabus in Purgatorio detentis, pro absolutis Missæ Sacrificijs coram eodē Altari Patrocinij B. M. V. concessa.*

7. *Quoties aliquis Sacrificium Missæ audierit ante Altare Patrocinij Beatissimæ Virginis M. in Ecclesia Cracoviensi, in qua hæc Confraternitas fundata est, consequitur* Indulgentiam 60. *dierum.*

8 *Quoties aliquis adfuerit Cæremonijs & Ritibus Spiritualibus, ac alijs devotionibus in hac Ecclesia, vel alibi per Confratres absolvendis,* Indulgentiam *60. dierum obtinebit.*

9. *Quicunq; ex Confratribus vel Consororibus*

ribus Pauperes hospitio susceperit; vel pacem inter inimicos composuerit, seu componi fecerit, vel procuraverit; necnon etiam qui corpora Defunctorum, tam Confratrum, quam Consororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverit, aut quascunq; Processiones de licentia Ordinarij faciendas; Sanctissimumq; Eucharistiæ Sacramentum, tam in Processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicunq;, aut quomodocunq; deferetur, comitatus fuerit; vel si impeditus Campanæ signo ad id dato semel Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam dixerit, aut etiam quinquies Orationem & Salutationem, easdem pro Animabus Defunctorum Confratrum & Consororum ejusmodi recitaverit; aut devium aliquem ad viam salutis reduxerit, & ignorantes Præcepta DEI, & ea, quæ ad salutem sunt docuerit, aut quodcunq; aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerit; toties pro quolibet præfatorum operum exercitio, consequitur Indulgentiam *dierum sexaginta.*

Ad Majorem DEI Gloriam, Beatissimæ MARIÆ Virginis, *R*eginæ Poloniæ Honorem.

Lascius

m
e.
r.
e
f.
if.
in
ut
,
æ
m
li.
af.
m
vi.
&
ad
ud
to.
rci.
xa.

ffi-
niæ

9